



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCLVI. Filius pro meretrice patris, suum redimens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

atrunque excanduisse: deinde tutorem ex conscientia rationum, omis-
sisse potius matrimonii vindictam, quam mutuis caderet actionibus.
Sic pares acceptasque factas actiones.

CCCLVI.

Filius pro meretrice patris, suam redimens.

Quidam luxurioso filio, amanti meretricem, dedit pecuniam, ut fibi
emeret eam meretricem, quam ipse pater amabat: ille eam redemit,
quam ipse adolescens amabat. Abdicatur.

S E R M O.

Hic senex dicet filium fuisse luxuriosum, & non sine maximo pa-
trimonii ac fama damno amasse meretricem; cui malo voluisse me-
deri patrem, saepe objurgatum filium: saepe secreto, saepe etiam pa-
lam castigatum. Cum jam nec sumptibus, nec verecundia finis im-
poni posset, habuisse cum cognatis consilium, quidnam se facere oport-
eret. Abdicaret: sed tanto liberior fuisset luxuria. Castigaret:
sed nihil castigando profecerat. Succurrisset cognatis & amicis ratio-
nem, qua putarent juvenem posse emendari, si simularet pater amari
à se meretricem, & daret pecuniam potissimum ipsi filio ad redimen-
dam: quod si fecisset, futurum ut meretrix, redempta altera me-
retrice, deinde ab ipso adolescente redempta, indignaretur, & il-
lum amare desineret. Nam initio statim dicendum est, & culpa
meretricis juvenem habuisse: & ideo quasitam, qua avocaret, &
illa ratione datam juveni pecuniam. At illum protinus cucurrisset ad
meretricem suam: patrem autem, quoniam nullo modo sanare fi-
lium potuerit, ad ultimam ultionem confugere: Abdicare filium,
quia emendare non potest.

CCCLVII.

Uxor non relinquens ob adulterium cecatum.

ADULTER EXCÆCETUR. UXOR VIRUM IN CALAMITATE
NE DESERAT. Quædam patri de marito ter quæsta, & tacere jus-
sa, postea ab excæcato ob adulterium viro, quia non recedit, abdi-
catur.

S E R M O.

Hæc mulier dicet acceptum à patre maritum, se ab initio amare
cœpisse: adolescentem, lenociniis adulteræ illius usque eo captum esse,
ut revo-